

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.
Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA", Apud BURNS AND OATES
VARSAVIAE POLONORUM Varsaviae Polonorum Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.
LONDON W. 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS

AMERICAE SEPTENTR. NEW YORK CINCINNATI 52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.
RATISBONAE in BAVARIA

IN CANADA

MONTREAL 1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

LEONIS PP. XIII VITA IN DISCRIMEN ADDUCTA	v. n.
DE POETICO CERTAMINE A <i>Voce Urbis</i> INDICTO	<i>Vox Urbis.</i>
CARMEN SINGULARI PRAEMIO ORNATUM. Musa animum addit Ioachim Pecci iuveni de valetudine desperanti	Ios. Wawer.
PETROPOLIS, III° AB EIUS AEDIFICATIONE SAECULO INEUNTE	D. Lascaris.
DE GERMANICA SOCIALISTARUM FACTIONE	P. Rossani.
THEOPHILUS LENARTOWICZ	H.D.V. Pieralice.
SATURIO. Comoedia latinis versibus conscripta et in tres actus distributa.	I. B. Francesia.
VOCALIS POLYPHONIA AD PRAECEPTA PETRI ALOISII PRAENESTINI	Hersilus.
HORA POSTREMA. Leonis PP. XIII carmen novissimum: NORCTVRNA INGEMISCENTIS ANIMAE MEDITATIO	LEO PP. XIII.
ANNALES	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	Scriba.
AENIGMATA	V. Hertel.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM Viator.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIII

Sociis et lectoribus Commentarii nostri vehementer commendamus instrumentum,
quod, rei proprietate sibi vindicata, conficit

SOCIETAS LATIALIS EDITRIX

(ROMAE, Corso Umberto I, 219),

cui machinae nomen est:

SCRIPTOR AUTOMATICUS

(ITALICE "COPISTA AUTOMATICO");

quippe inter horas tres quodvis scriptum, qualibet in charta, millies reddat: epistolas, litteras eodem
exemplo ad plures dimittendas, consultationes, edicta, invitationes, nuncia, acceptorum et datorum ra-
tiones, libellos, lineas vel figurae descriptas, exemplaria, formas, musicen, et alia.

Societas ipsa fidem praestat Scriptorem hunc Automaticum tribus horis ex uno chirographo
mille et ultra exempla exhibere, eaque omnia pariter nitida atque perfecta; — quinque temporis
momenta satis esse ad eius usum discendum; — chirographumque celeriter scribendo, non secus ac
communi quovis calamo, parari.

Instrumentum, utili spatio disponens cent. 23 X 34 novum et ex omni parte perfectum **venit**
libell. 45; atramenti ampulla (per aliquot menses sufficiens) libell. 4; folia singula ad chirographum
scribendum libell. 0,15.

Premium solvi potest cum traditur merx; portatio vero fit ad impendium iubentis.

Una cum Automatico Scriptore paucae eaque simplices institutiones ad rite ipso utendum neces-
sariae mittuntur.

↙ GRATUITO ↘

quisque habebit et experimentorum specimina et opusculum continens **plus sexcenta** de re iudicia.

Omnia petantur a

SOCIETATE LATIALI EDITRICE

(Romae, Corso Umberto I, 219).

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr.
an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis*
administrator officium instituimus, quod de
negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis sci-
licet rationibus omnibus, quae apud Romanae
Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit,
profecto temperantiam in pretio, studium at-
que alacritatem in opere inveniet.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra italicam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

LEONIS PP. XIII VITA IN DISCRIMEN ADDUCTA.

SANCTISSIMO Pontifici Leoni Pp. XIII hum-
num genus, in senectute, in vigiliis, in la-
boribus ingentia altissimi muneris perferenti
pari, ita assuevit, ut ferme Apostolici Viri
vitam inexpugnabilem credat, et nisi prope-
modum immortalem, in plures et longe plures
tamen annos producendam votis omnibus con-
spirantibus iure arbitretur. Haec et litterarum
studia quibus mirifice delectatur, et oris col-
loquiorumque iucunditas, et gratia vivax, et
quotidiana sollicitudo christianarum rerum, et
Pontificalis Iubilaei, et Consistorii nuperrimi
curae polliceri exspectantibus videbantur. Ni-
hilominus, quasi ingruentis procellae praenun-
cia signa, iam a tertio mensis Martii die non-
nulla apparuerunt, quando, posthabitibus medici
consiliis ac domesticorum precibus, in Vati-
canam basilicam descendit ut solemnibus Iu-
bilaei sui felicibus celebrandis interesset. Nos-
que ipsi, qui propiores aspeximus, mutatum
aliquid in ore Eius et quasi dilabens inviti
aspeximus, et benedicentem populo gravatum,
oppressum, anhelantem percepimus, adversa
inde plurima pertimescentes. Fortassis et ipse
Vir pereunte se intelligebat et sentiebat; ubi
enim ad penetralia rediit sua, gratias Deo,
cuis vices gerebat, agens quod optime fortu-
nasset, diu conticuit, seniles lacrimis roranti-
bus genas.

Verumtamen aliquandiu post haec abstinuit
a gravioribus, lectuloque passim recubuit, ut
adorientem pituitam et haerentem curaret. Mor-
bus nec remediis cedere, nec tempori parere
apparebat, quinimo infaustum aliquid viscera
aggrediens superadditum est, quasi fugatus
hostis ad pugnam revertens, et pericula in-
staurans.

At indomita Augusti senis virtus prae-
sertim ultimis hisce diebus et novas recepisse vires,
et animum erexisse visa est, ita ut, annuente
Lapponi archiatro, per Vaticana viridaria cur-
ru sese traderet agendum, quod unum sibi so-
latium indulgebat, quo unice recrearetur. Sic
pridie kalendas Iulias a nona ad undecimam
diei horam curru devectus est, et post redditum
laetabatur cum domesticis et familiaribus gra-
tulantibus quod matutina hac, ut ita dicam,
rusticatione, quasi refectum se et incundum
sentiret, constitueretque sequentibus diebus se
ita facturum. Inde in interiora domus regres-
sus pluribus adfuit, qui et visere et audire pe-
tierant; eademque duobus egit diebus sequen-
tibus. Tertio Iulii mensis die hora octava in

Vaticanos hortos egressus et nona regressus,
ut, quae Sancti Officii Assessor referret, audiret,
iuberetque opportuna, diu cum hoc moratus est,
plura a munere diversa colloquiis interserens,
quemadmodum nobis privato sunt officio relata.
Auditis deinde quibusdam egregiis viris, qui
ut andarentur rogaverant, inter quos Salviati
dynastes cum familia, ad aulam Clementinam
processit ut Hungaros athenaei Budapestini
alumnos aspectu suo et alloquo bearet. Brevis
moratus, postquam benedixit, privatis restitu-
batur sedibus suis.

At huius diei vespero qui cum Illo a latere
erant, fractum, lassum, aegre spiritum trahere
non sine quadam horrore ac tremore animad-
verterunt. Itaque archiatrum accersunt, qui
ocissime adventans, sedulo, suo more, omnia
perspexit, nihil tamen infausti imminere com-
perit, quamvis morbum, quem *hepatizationem*
senilem appellant, iam ab inde timeret. Itaque
ne repente accideret, quod subito pariter me-
dicamine non arceretur, in aedibus Vaticanis
apud Pontificem moratus nocte est. Nec a praevi-
sis res abfuit; nam quae levia hepatizationis
indicia frequentiora apparebant, totam per no-
ctem ita creverunt, ut archiater alium sibi ad-
sciverit collegam, cuius opera, in gravioribus
Augusti Patris curandis, optime saepe, ac praeci-
cipue an. MDCCXCIX in extirpanda cysti-
psus erat, quo cum de natura morbi et de re-
mediis consuleret. Interea, quis crederet?, - ac
tamen haec nobis certa fide et scientia redditia
privatis sunt verbis, - interea Senex mirabilis,
etsi turbaretur oppressione aegritudinis, ange-
retur anhelitu et insomniis corriperetur gra-
vibus, in otio esse solebat, et memorans se cui-
dam promisso latina carmina, quae tabulae
insigni subiiceret, praesentem advoceavit ex fa-
miliaribus, et latinos dictabat versus ea felici-
tate singulari, qua semper potuit, ea dilectione,
qua latinas litteras iugiter exquisivit!

*

Dominica illucescente die — V^a mens. Iulii —
nam superiore nocte SS^m Pater fere omnino
non requieverat, uti diximus, Mazzonium col-
legam Lapponius archiater habuit coram Au-
gusto aegroto; atque uterque morbi cognita
indole, remediis, quibus uterentur, communis
consilio constitutis, decreverunt de vulganda
bis quotidie praelo notitia, quae infirmitatis ad


amussim singula notaret; idque circa meridiem
primo factum est apud aedes et sedem officio-
rum Magistri Apostolicae Domus; et illo in
folio recognitio (*diagnosim* medici vocant) morbi
— id est *hepatizatio pulmonalis senilis* — ostendebatur,
tum ea quae morbo curando opportuna indicata fuerant confirmabantur. Post meridiem iterum convenerunt, et morbum etsi non
graviter, creuisse tamen repererunt. Debilior
factus erat aegrotus, respiratio frequentior, ve-
narum pulsatio languidior, at non abnormis;
calor subnormalis; mens sui compos et splen-
didissime intelligens.

Sexta post meridiem eiusdem diei hora idem
SS^m D^rns. deficere vires suas magis magis
que sentiens, SS^mum Viaticum Eucharistiae
sibi optavit, de quo ferendo E^m Card. Urbis
Vicarius VI^o diei summo mane, Romanum po-
pulum admonuerat. Itaque octava circiter Do-
minicae post meridiem hora, in Paulino pa-
latii Vaticani sacello, plures tum ex incolis
Vaticinarum aedium, tum ex nobilibus Ro-
manis illuc convenerant. Cereis lucebat altare
maius, et in medio Deiparae imago Iesum
regentis in ulnis, inter lumina coruscabat;
non enim videnda, nisi maxima sint cau-
sae, conceditur. Tunc adventabat in sacellum
E^m vir Marianus Rampolla, Pater Purpu-
ratus a secretis ex omnibus negotiis Ponti-
fici, cum aulicorum pluribus. Igitur dupli-
agmine pompa constituta est; praecedebant sae-
culares et sacerdotales viri ardenter cereum
singuli ferentes. Stratores qui dicuntur pro-
piores erant Eucharistico Sacramento, quod
Ex^m antistes Gulielmus Pifferi, Vaticani Sa-
crista, ferebat, comitantibus ad latus Rr. Pp.
Della Chiesa et Misiatelli, umbellam regente
Ex^m viro Octavio Cagiano de Azevedo, Sa-
crae Domus Praeposito; ex Helvetica cohorte
quatnor militibus armatis circa procedentibus
ad honorem.

SS^mam Eucharistiam, quam adventuram
praecedens tintinnabulorum sonus annuntiabat,
Ex^m vii sequebantur, tum Bisleti, admis-
sionum Magister, stolam, qua indueretur Pon-
tifex, manu deferens, Gasparius extraordina-
riarum a secretis ecclesiasticarum rerum, et
Costantini eleemosynarius, praesulesque ex
pontificia domo quamplures incedebant. So-
lemnibus decoratus vestimentis Camillus Ro-
spigliosi, princeps romanus, cui suprema au-
toritas in Nobilibus Corporis Custodibus, pone-
subbat, et post hunc primores et centuriones

Palatinorum et Vigilum Helvetiorum; inde Satellitibus Pontificis Praefectus, centurionesque omnium ordinum ex militibus Vaticanae regiae inservientibus. Praeterea accedebant qui Pontificio cubiculo adstant, qui diversa quaeque praecipua illie obeunt, in rebus gerendis administrandisque, munera; tum quamplures e patriciis nobilibusque Urbis, et Camillus Pecci, Pontificis nepos, pluresque denique in Vaticana arce degentes.

Psalmos prosequuntur qui pergunt religione magna, quos Sacrista praecinit, et, quo diximus agmine, in aulam Regiam, in Dualem, in prima ambulacra, in regiam scalam, in aulam, cui ab Helvetiis nomen, procedunt. Electride coruscante omnia fulgebant, cereaque intorticia ardentia late super candelabris deargentatis, frequentiora ubique ad parietes, ad angulos, vincebant noctem. A dextris aulae Helvetiorum fere omnes ex iis qui Curiae Urbique adsunt stabant Eñi Patres Purpurati, ipso non excepto Francisco Satolli, qui Tusculani Episcopatus particeps factus, cathedram sedemque suam primum ipso mane ingressus erat, at, auditio nuncio ingravescens morbi, ad Pontificem aegrotantem, paulo post meridiem, festinaverat redditum. Manipulus Helvetiorum Vigilum prætereundi Deo exhibitis armis, flexo honorem et obsequium genu tribuit, et Stratorum post aulam tuendae pompae Palatinis Custodibus officium tradit; hi Nobilibus Custodibus Corporis, qui, salutantes ut ceteri, in throni aula sua vice substiterunt; nam privata Pontificis cubicula Sacramentum Eucharisticum ingrediebatur, in quae aditus paucissimis tantummodo patuit. Quotquot in aula, flexis genibus, litaniarum preces recitabant, ceteraque tempori locoque idonea precabantur. Velum flavum, sericum, humeris et pectori Augusti aegroti impositum est a Magistro Apostolici Cubiculi; et super hoc stola. Pontifex, qui iam ab inde prolixius ferventissime orabat, assistente Seraphino Vannutelli, Cardinali Poenitentiario Maximo, de verbo ad verbum Fidei professionem sequutus ore est, quam praesul Palatio praefectus legebatur, singulis interdum lectionem interrumpens, quasi ipse, non Pontifex in ultimis versaretur. Dum vero r̄mus Marzolinus, ex intimo Pontificis cubiculo, *Confiteor* pronuntiabat, ubi ad ea verba ventum est « mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa! », humillimus tanta in Sanctitate Leo ter brachia porrexit, ter ad pectus magno cum sensu contritionis rededit, ut e evidenter non fuerit qui lacrimas cohibere posset.




Ubi Eucharistico Pane refectus est, obmutuit orans et caelestia meditans, in se totus, capite inclinato ad pectus. Temporis congruo elapo spatio, accendentibus Patribus Cardinalibus de osculandam dexteram praebuit, verbaque singulis habuit suavissimae caritatis. Qui recessentes singuli ab Augusto infirmo, obortas lacrimas siccabant manibus et orariis; non enim fas erat interesse et non flere, nec pudebat humanum sentire caritate christiana iubente, vel dare lacrimas Patri iam morituro. Eadem bona verba medicis, eadem adstantibus, eadem r̄mo Rinaldo Angeli, sibi a secre-

tis singulari, dixit; immo huic plura praecepit quam citissime facienda. Post haec revirescere, convalescere visus nonnihil est; ita ut decretum, quod *breve* nuncupatur, poposeerit, quo iusserat r̄mus Praesulem Alexandrum Volpini ad munus Secretarii Congregationis Consistorialis evehendum; datumque sua manu obsignavit.

Aliquandiu postea dormitavit; sed rursus importuna, inquietus redibat angens insomnia, totumque integra nocte occupavit, quamvis illa, quae superiore nocte torserat, minor. Dicitur immo, semper sui compos et sibi par, excelsus, quo solet, animo, novum epigramma compo- suisse latinum, et huiusmodi carmina scribenti dictasse. Haec non evidentia nobis de auditu et visu fuerunt, pro certis tamen relata habemus.

Albescente die sexto mensis huius Iulii iterum rediit ad somnos, et quietus dormivit. Ubi experrectus, vires ita recuperasse sibi visus est ut de lectulo surgeret, vestes sibi manibus aptaret suis, ad scriptoriam mensam accederet, et quaedam sua nuperrima carmina praelo impressa examinare vellet, serutari, emendare; sese insuper libenter iusculis ovorum vitello medicatis aluit, ut infractas virtutes corporis repararet.



Sed quarta post meridiem hora repente advenere tetrica, quibus brevissima temporis adhuc superesse Augusto Infirmo crederentur, et putaretur cum die occasurus. De unctionis extremae sacramento cogitari coepit est, quod revera undecima hora, quadrante minus, r̄mus Sacrista facturus accessit. At hoc in tempore ingens Pontificis animus rursus pulcherrime emicuit. Cum enim Sacrista moeroris caligine obfuscatus et lacrimis, quas frustra alto corde premebat, Sacramentalis Olei unctionem inferret supinis Pontificis manibus, hic repente suarum terga manuum illinienda convertens: « Non palmae, - inquit, - unguae, quae Sacerdotali olim et Episcopali charismate sacratae fuerunt, o Praesul; sed harum dorsa delinies! ».

Sequens nox mitior; at Senex Augustus semisopitus manebat, quo indicio deficere sensim vires ostendebantur. Sexta circiter hora a noctis dimidio, quae septimi diei pariter hora est, refici Eucharistico rursus pane quaesivit. Quod postquam factum est, exigua voce ac tenui, et imo corde commotus adstantibus lectulo dixit sentire se aeternitatis proximum limini, et, cum brevi migraturus esset e terris, valedicere supremum se illis, benedicere, extremum affari.

Adeunte post haec archiater et Mazzonius deficientem invenere transmissionem *fremitus vocalis ac tactilis*, liquidum invenerunt in pleuram delapsum, officia cordis ita oppressa, ut ministerium renum ad minima, nisi ad inertiam omnimodam reductum iudicaretur, et *cyanosis* in extremis manuum phalangibus, sive articulis apparentem.




Iamque de vita Augusti Senis actum videbatur; spes nulla superstes erat. Unum tamen tentandum illucebat, quod salutare esse posset; pungere circa pulmones, et reperto op-

primente liquido, *thoracentesim*, quam vocant, aggredi; importunum et occidentem inde eruere e pectore humorem. Verumtamen, datis decubantis conditionibus, hoc tuto liceret? Quid si gravius inde maturaretur?... Nutabant medici ancipites; sed aegrotus sua voluntate accessit, et quasi animos adderet, et inesse sibi ad ea, quae medici facturi essent, vires ostenderet, surgere voluit e lectulo, in cubiculo deambulare, audire suo iussu diaria legentes; et ipsa in lectione laetus et gratulabundus morari coepit interdum commentans, quae legebantur, et præ ceteris gaudens quod non modo sibi, homini ut ceteri, sed Pontifici Romano tanta sollicitudo emerget toto ab Orbe terrarum. Super omnia tamen laetitia non mediocri affectus est de iis, quae superiore vespere in Concilio Municipii Romani publice praedicata sunt.

Neque tamen abfuere momenta moeroris: « Ecce, - inquietus, - ultima mihi appropinquant, tempus resolutionis meae instat, spei reliquum nihil, qua convalescam. Praesaga mihi mens est, cito me, vocantis in conspectum Altissimi abiturum. Neque migratus hinc doleo... In pace morior, tranquillus abscedo, conscient me omnia fecisse iuxta vires meas, quae bona, secundaque humano generi et Ecclesiae futura et esse perspicierem... Nec scio quae praesentes, quae posteri de me, de opere meo iudicabunt; sed bono moneor testimonio conscientiae meae, et ipso munior, aeterni domicilii in supremo limine constitutus ».

Facile coniectu est qua pace, qua serenitate mentis, haec versans animo, toleraverit sine querela, sine lamento et pungentis aculeum chalybis prima post meridiem hora intima explorantis, et subsequentem congregati humoris haustum, quo octingenta circiter grammata liquidi « seri-ematici » (sic vocant medici), emitit. Tunc tetrico liberatus incommodo, et revirescere quodammodo visus est Pontifex, et meliora indicia adventarunt.

Rei tam prosperae, tamque desideratae nunciae voces incredibili gaudio gentium susceptae sunt, et suavissima spei redeuntis aura trepidantium pectora mulcebantur. Addita novi gaudi causa est vespertinis medicorum rescriptis, monentibus omnia benevertere; aegrotum, iam oppressionis expertem, meliora polliceri; lento, sed certo pede, redire cordis officia; sanguinem liberius circuire inter venas; anhelitu prorsus ferme sublato, rite Pontifice spiritum attrahere atque reddere.



Ab imminenti igitur mortis periculo aberat Senior Augustus, exsultantibus et meliora iugiter Christicolis deprecantibus toto ab Orbe terrarum, ita ut vere tunc illud redire videretur « esse omnes labii unius, et sermonum eorumdem » (1). At quasi ad nimis effusam competescendam laetitiam, et gestientia gaudia populorum cohibenda, aliquantum recrudescere im- placabilis visus est morbus. Sed haec brevia fuerunt adversa, etsi diuturna visa nimis; non nam enim huius mensis diem integrum occuparunt. Nam quum iterum Ille Optimus opprimeretur anhelus, archiater et Mazzonius solum sibi Eugenium Rossonium, in athenaeo

(1) *Genesis*, cap. XI, v. 1.

Romano docentem, sibi optaverunt, quo cum de agendis in tempore tam summo, tam praecepsit, tam periculoso consulerent. Conciliantibus itaque visum est optimum fore si rediens circa pulmones humor iterum anferretur. Nec mora: thoracentesis die decima instaurata est, velut antea, milleque fere grammata liquidi « sero-sanguinolenti » e praecordiis ablata felicissime sunt. Revirescunt vires, spesque cum iis, et una cum spe et viribus gaudia et exspectatio faustorum reflorescunt; secundaque haec omnia hactenus (primo XIII Iulii mensis diluculo haec praelo committimus) bono alite non mutata permanere nunciantur, et potiora promittere.

Siquis autem triumphus viventi maximo cuius ex imperatoribus, ex optimis quibusque viris umquam fuit, longe inferior triumphali nomini Leonis XIII, hisce diebus dici potest. Quum enim in periculo ille esse cepit, dum brevi morturus ineluctabiliter videtur, dum spes omnis et suspicio abest voluntatis vel benevolentiam vel auram captantis, undique in diariis emergerunt elucubrations inemptae landis, emergerunt pulcherrimarum praeconia virtutum, emersit erga eum favor et consensus omnium gentium. Et quae docti viri, quae populi omnes, haec eadem reges et Augusti senserunt locorum nihil discrimina, religionis diversitatem nihil contra ducentes. Ecquis ergo huiusmodi triumphus fuit, praeter triumphum Illius, quem cruci affixum et morientem in Golgotha turbae revertentes dixerunt: « Vere Filius Dei erat Iste? ». Sed haec minime tractanda nunc nobis, etsi notasse et meminisse iuvet.

Reliquum est ut Dens bene inita fortunet, compleat, perficiat, votis regum, populorum christiadum et vel ethnicorum deprecantium idem benignus assentiens!

v. u.

DE POETICO CERTAMINE A VOCE URBIS INDICTO.

PRIMA Iulii mensis die, spatio temporis expleto ad recipienda carmina sociorum, qui certaminis poetici a nobis indicti vellent esse participes, congregati sunt Petrus Angelini, doctor litteris latinis tradendis in Athenaeo Leoniano, Hyacinthus De Vecchi Pieralice, doctor litteris tradendis in romano gymnasio, cui a Terentio Mamiani philosopho nomen, denique Iosephus Fornari, iuris atque litterarum doctor et in commentario *Vox Urbis* redigendo primas agens, ut scripta quae ad nos pervenerunt, ad trutinam vocarent.

Quae quidem scripta, iuxta ordinem quo nobis sunt delata his verbis distinguuntur:

1. *Cum tot sustineas et tanta negotia solus...*
2. *Lumen in caelo.*
3. *Carmina proveniunt animo deducta sereno.*
4. *Hi recreent Tua, Sancte Senex, brevia otia versus,
Quos qui composuit filius exiguis.*
5. *Sed malus interpres rerum metus, omne trahebat
Augurium peiore via...*

Iudices, omnibus mature lectis ac perpensis, communis sententia carmen n.^o 4, ut supra, distinctum praemio dignum censuerunt. Aperta autem epistolari theca nomen auctoris includente, haec lecta sunt:

P. Ios. WAWER C. SS. R. rhetor
Waals. Limbourg hollandais.
Iuxenatus Redempt.

Vox Urbis dum clarissimo viro gratulatur, eius scriptum, quasi ad omen recuperandae per Senem Augustissimum valetudinis, hoc ipso in Commentarii numero vulgat.

CARMEN SINGULARI PRAEMIO ORNATUM.

Musa animum addit Ioachim Pecci iuveni de valetudine desperanti.

- « Quanta dolorum vi miser obruor!
Quam membra languent! Deficiam brevi.
Sed non pigro frangar timore,
Interitum opperiar quietus. »

Profert inerti marcidus haec sono,
Quem multa febris discruciat gravis,
Quem, quum iuventus vix vireret,

Insequitur Lilitina tristis.
Ut flos tenellus, cui male dentibus
Arrosa radix, mox nitidum caput
Inclinat erectum caditque,
Sic iuvenem minuunt dolores.

Caelis apertis pervolat aera,
Cubile complet lumine splendido,

Et in lyra sancta reclinis
Musa suum facie serena

Vatem salutat: - « Cur oculi vagi?
Pallensque vultus? Parce metu modo!

Non invida febri tereris,
Non Acheronta videbis atrum.

Vives, vigebis, Castalidum chorus
Laetus canentem Te comitabitur,

Lauro comes cinget perenni
Ipse Tuas etiam seniles.

Cernisne turbas vix numerabiles
Omnes ad unum confluere in forum,

Oras ut autumno volucrum
Agmina multa petunt easdem?

Cito cohaerent, ora loquacia
Silent, in altum lumina fulgida

Tolluntur: illuc eminere

Templa vides veneranda Petri.

Mentes quis horror nunc sacer occupat?

Lento triumpho progreditur senex,
In fronte fulget mitra triplex,
Sacra manus benedit orbi.

Plausu sonoro compita personant,
Dicunt beatum Pontificem nimis:

Annos Petri numquam replendos
Egreditur viridi senecta. »

- « Haec ora novi. Non referunt avos? »
Verum stupentem Musa animum rapit:

- « Montes aquarum cerne vastos,
Oceanus fremit, imma tollit.

Caelum nigranti nube reconditum,
Procella naves concutit anxiast,

Malii gemunt, rescissa vela,

Exululant homines acute
Morti dicati. Quis miseros levet?

CAELESTE LUMEN protinus emicat,
Claro nitore illustrat aequor,
Littora tuta docet salutis. »

- « Amica, dic: Quae stella salubris est?
Qui naufragi, quos ipsa refecerit? »

- « Tu Pontifex lustras ab alto

Schismata¹, regna², scholas³, fabrosque⁴. »

Virgo recedit, straminibus puer
Lictis, alacris iam studiis vacat
Metaeque constans admovetetur
Numine propositae supremo.

Ios. WAWER.

PETROPOLIS

III^o AB EIUS AEDIFICATIONE SAECULO INEUNTE.

Q UOTIES gentem, saeculorum, quae nondum sunt, memori, Numini placeat erigere, virum excitat, cui animum futurae parem rei, cui instinctum faciendi, cui vires, cui ingenium tribuit, et manu quasi ducit per varios vitae conditionisque mortalis casus, ut ea, quasi voluntate sua compleat, quae aeternis in Providentiae consiliis ineunda, complenda, absolvenda decrevit. Ita Moses, et David, et Solomon, ita Philippus, Alexander, ita Romulus, Augustus, ita Carolus Magnus; nec diverso more Petrus I^o, cognomento Magnum, in septentrionalis Europae regionibus creatum voluit, quo immensum Scytharum, Russorum, Moschorumque imperium constitueretur.

Huic ab ineunte adolescentia nescio quid mirum animo illucebat, et exordiis, institutis longe meliora suis cupere, futura prospicere, ea velle quae patraret, et alto quae semel pectore conceperet, ea feliciter Deus concessit absolvere. Locis infinitam ferme regionem, pagos ferme innumerabiles, multitudinem populi regenti ipsis fere ignotam, vix tertii lustri particeps suo cohibebat imperio; at regio aspera, inculta, in via; at pagi vix haerentes nomine dominibus; at multitudine gentium rudis, ferox, inculta. Maria erant, flumina ingentia, sed classes nullae; commercia erant, sed exigua; nam et longissima itinera et indoles immansueta incolarum ab importandis mercatores etsi sollentes deter-

¹ Litt. enc. Praetara d. xx mens. Jun. an. MDCCXCIV.

² Litt. enc. Sapientiae christiana die x Ian. an. MDCCXC.

³ Littera encyclica Aeterni Patris, die iv mens. Aug. an. MDCCCLXXIX.

⁴ Littera encyclica Rerum novarum, die xv mens. Maii an. MDCCXCI.



Petropolis prospectus a ponte Nicolao I.

rebant. Quid copiae, nisi numerus quidem armatorum, sed peritia rei militaris ferme nulla, nisi ea, quam in Graecorum incompositis turmis Homerus docet? Ac tamen victoria in exercitus dispositione et in prudentia ducis, magis quam in numero, in impetu, in ferocitate pugnantium posita videtur. Longe minores interea circa gentes cultu, viribus, artibus, scientia praestabant; domi militiaeque, terra marique praestabant. Mora ergo non fuit; et quum Petrus probe cognosceret eum iubendi facienda compotem esse, qui iubenda vel ipse facere sciret, privatus, et ignotus mutato nomine, annos circiter duos et viginti natus, inter operarios et artifices Bataviae in portubus, in maritimis emporiis, in opificiis primum, deinde in Anglicis operarius ipse et artifex versatus est, propositi tenax in laboribus, in vigiliis, in vita ipsa ducenda exigua et fere misera, certe futuro Augusto miserrima in praesentiarum; non enim ex abdito dynastiae conditionis marsupio, sed e stipendio quotidiano, humilis habitator casae, vivebat.

Ubi ergo participem omnium rerum sese factum sensit, accidentibus insuper aestuantis et mugientis regionis patriae necessitatibus, domum remigrat, prob! quam ab illo diversus, qui olim excesserat! Redit physicis onustus disciplinis, nauticis, astronomicis, medicis; quinimo et artem fabri lignarii, et sculptoris, et artes horologiorum tum condendorum, tum restaurandorum didicerat. Nemo ex Imperatoriis plura in Urbem spolia post victorias triumpho, aerarium ditaturus, adduxit, plura, inquam, iis, quae Petrus domum reducebat nemini ablata, sed animo comparata. Redibat prudentia, sapientia, artibus optimis, et studiis, quibus interfuerat, et disciplinis, non imbutus, sed onustus, et ideo superius: onustum scripsi; nam pleno haustu hauserat, potitus omnibus ad plenum erat, et non sexto minor lustro, sed sexentesimo maior poterat, vel ipso se iudice, prudentia et sapientia iudicari. Rapidus admovit in agenda manus, quippe

... semper nocuit differre paratis.

Undique ex Batavia, ex Italia, ex Anglia, ex Germania viros acciverat, quibus, et quorum ministerio traderentur artes, quies populi sui excoletentur.

Attamen repugnabat audenti subditorum suorum indoles, repugnabat locus ipse, ex quo nova lux emicaret, scilicet suae dominationis urbs caput Mosca, repugnabat consuetudo ho-

minum seniorum, plena memoriarum, quas avi et abavi reliquerant, quibus, more senum, tenacissimi haerebant; num et ipsa non repugnabat religionis traditio, qua Mosca veluti sacra Urbs et immutabilis habebatur? Quid faceret? Nova novis; utraque convenienter inter se optime; praesertim cum animadverteret aut mare, aut flumen ingens futurum sibi necessarium, ut operam parandis classibus daret, cum dominatio sua pertineret a mare Finnico in boream, ad mare Euxinum in austrum. Eligit igitur vetus quoddam iuxta Newae fluente oppidum, cui *Ivangorod* nomen, et Constantinum Augustum aemulatus, qui Byzantium sustulit uti Constantinopolim romano fastu et more superextrueret, neque idolorum delubra et recordatio et aspectus susceptae religioni adversarentur, deleta arce *Niensciantz*, aequo in loco, aquis tamen inferiora soli duo vix post metra occupantibus, anno MDCCIII immensum novae Urbis opus, prout moliebatur animo, aggressus est.

Quantum in agros pateat Petropolis, quantum in frontem recte dici non potest; nam ferme perfecti circuli speciem exhibit, cui diametrum sit novem circiter chilometrorum, ambitus et orae chilometrorum ferme triginta. Octoginta operariorum millia, in facienda, molienda, dolanda, exstruenda incubuerunt; quae ego errata credo circa numerum, nam fama tradit inter centum millia hominum et ultra illuc inclemencia caeli solique periisse, morbis in tantam multitudinem atrocissime saevientibus. Quinque mensibus ita aedificatam fuisse dicunt, ut quinque et septuaginta hominum millia primo contineret anno; opera, aedificia postea, acerrima qua tenacia Petrus omnia urgens instabat, Augusto viro prosequente, uti talem redderet, quale animo cōcipiebat.

Ipsa decedente a mortalibus, quod anno MDCCXXV factum est, quum quintum vix et quinquagesimum ageret annum, Catharina I^o, eius uxor, opus alaci animo, iam a viro inchoatum, prosequuta est. Hac moriente, fortuna novae urbis aliquantulum adversis opprimi visa est; non enim succidenti Petro II grata sedes videbatur, qui proinde Moscae semper fuit. At imperatrix Anna Petropolim credidit, pluraque edidit pulchra visu; maximum vero


incrementum et ornamentum addidit Catharina Augusta, huius nominis altera, quae, praeclare gestis ad augendum amplificandumque imperium, Semiramis Nordica appellata fuit, et adhuc tanto digna nomine habetur; non enim Semiramidi magis Babylon debuit, quam II^o Catharinae Petropolis, cui iure monumentum ingens erectum, prout exhibemus imagine.

Longum est enumerare singula, quae hac in Urbe digna sunt admiratione exterorum, recordatione civium. Hoc praecipuum habet, quod viae eius ad lineam rectae quam longissimae porriganter conditione soli praecipua, namque omnimoda in aequo est; harum pulcherrima via Newski, cui nomen a delubro S. Alexandro Newski dicato; huins reliquiae translatae hue sunt, et maximo cultu habendae apud Moscos censentur. Cathedrale templum S. Isaaci et mole ingens et additis aedificiis immensum, ambitu quippe suo XII minora templa et monasteria XII continent. Sacra moles centum octoginta et quatuor columnis imponitur, et mirabilis intus visu est, profusis ubique auro, argento, gemmis ad ornandos parietes. Exterius admirabiliter eminet; quod quidem commune huic est cum reliquis sacris, et saepe profanis et publicis aedificiis, quae, constrata cyprio, deaurata pinnacula habent. Dies pae ceteris hoc sub caelo diurnus unam et viginti horas producitur; nox pae ceteris brevis tres habet horas; itaque, inverso ordine, dies hibernus minimus tres horas numerat, maxima nox unam super viginti.

Mirabile est aeneum simulacrum equestre Petri I, porphyretica emicans basi admirandae magnitudinis, casu in quadam palude reperta, cuius translationem in urbem epico celebravit carmine, X librorum, italus Vergiliana societate dignus, rei ferme aequalis, ex Aprutina regione medieus, cui Catharina II praemium ingens donavit.

Basilica Deiparae, cui nomen a loco *Kazan*, digna visu est, idcirco admirandam offerimus; prouti pariter lectorum oculis subiicimus urbis prospectum a ponte, qui Nicolai I Caesaris nomen obtinuit, nobisque praebet Petropoli longaevitatis maximae augurium. Tradunt enim Russi pontes viginti et septem Newae flumini in urbe sua capite instantes, saeculorum monimentum esse, per quae urbs illa victurabit. Quod felix, bonum, faustumque fiat, novis immo superadditis pontibus!

D. LASCARIS.



Catharinae II Augustae monumentum, Petropoli.



Simulacrum equestre Petri I, Petropoli.

DE GERMANICA SOCIALISTARUM FACTIONE.

ADNOTARE pauca de Germanica Socialistarum factione opportunitas ipsa temporis suadet, dum insonat adhuc recentis victoriae rumor, quam satis amplam illi in novissimis pro eligendis oratoribus populi comitiis per suas regiones obtinuere.

Iamque non mirum videri potest apud Germanos factionem hanc, novorum temporum quam dicunt, praevalidam esse, ubi apostolos maximos et doctores suorum documentorum sortita fuerit. Carolum Marx ante omnes dicimus, eius usque ad obitum, qui Londini accidit anno MDCCCLXXXIII idibus Martii, omne sceptrum imperiumque novae doctrinae fuit, idque non tantum apud Germanos, sed apud omnes reliquos Europae populos. Eum enim quasi prophetam et vatem futurae maxima secessionis et vindicationis proletarii ubique eorumque duces habebant, atque vita functum quasi maximum nostrae aetatis philosophum luxerunt. Sed, ob eius documenta praesertim, pauci, qui illuc tenus vix academice, ut ita dicam, et scholastice, de nova republica loquebantur, quemadmodum Liebknechtius non sine superbia et arrogantia animadvertisit, in factionem coivere et in proelium descenderunt. Discipulorum eius opera coacto, octavo anno a magistri obitu, Erfurtiano memorabili illo socialistarum universorum comitio, dominari omnes Marxii doctrina potuit assecelas etiam peregrinos, nulla distinctione facta, neque linguarum, neque gentium. Quid? Adeo crevit eius nominis auctoritas, ut non obscurus ille Engelsius fervido voto praenunciaverit, anno MDCCXCVIII, fore ut Europa omni socialistarum factio potiretur.

Verum enimvero prophetam fefellit eventus; anno enim exacto, nulla innovatio tam lata est

facta; Engelsius ipse paulo post obiit, Eleonora' Marxii filia sese morte mulcetavit, cum, domesticis iuctibus oppressa, impotem sese paternis documentis factam sensit ad dolorem viriliter sustinendum.

Tunc israelita quidam Bernesteinius, ipsos inter fideles, novae paullatim sectae princeps apparuit. Ad Helvetios primum, deinde ad Anglos extorris pulsus, diarium factionis edere ipse unus perrexit, cui titulus *Sozialdemokrat*, ita vero ut sensim auctus studiis et disciplinis in ipsius magistri doctrinas quasdam vulgare notas primum ausus sit. In philosophiam magistri, qui historiam omnem non nisi naturae corporeae legibus regi asseruerat, qui mercium laboris divitiarumque pretium non iusta lauce aestimaverat, neque satis persperxerat regulas, quibus in societate hominum eae committentur, Bernesteinius praecipua animadvertisit. Atqui cum ille Stuttgartensi coram coetu sodalium haec primum proposisset, magnam disceptationem excitavit, atque editus ab eo de re libellus: *Die Voraussetzungen des Sozial-*

asseclas aemula invidia ad invicem querunt. Horum alterum, quod Bernesteini, ut ita dicam, plerumque exarant, novissimo tempore ab aemulorum agmine maximam sibi lectorum cohortem adscivit, idque fortasse etiam ex eo quod ins scribendi libero calamo quae optima reputentur et magis aqua Bebeliani denegaverint, neque defuerint, qui censores statuere vellet ut diaria ante editionem reviserent. Quid iam? Quidam exortus est, qui affirmare non dubitavit, utraque ex parte factionis philosophos esse selegendos atque in foveam coniiciendos, ut sese, more bestiarum, ad invicem devorarent!... Itaque in duas partes factio resoluta iam e supremo coetu discessit, cum tamen, prouti in recentibus comitiis videre fuit, socialistae Germanici viribus haud orbarentur, vel saltem minuerentur.

Non enim de doctrina tantum agitur, vel de philosophia disputatur, sed de vitae bonis atque commodis consequendis. Inde non aemulatio una victoriae, sed odium ordinum vicissim stimulatur atque excitatur. « Proletarii ex omni



Via Newski, Petropoli.

smus... (id est: Socialismi supposita, vel postulata) latissime est vulgatus.

Huiusmodi critices observationes et documenta apud factionis assecelas plurimos esse passim receptas ostenderunt sane recentiora comitia duo, quae Germani tum Lubeckii an. MCMI, tum Monachii anno sequenti habuere. Bebelii atque Bernesteini vivissima fuit disputatio et paene violenta. Hunc ille veluti proditorem sua factionis incusavit, atque censurae votum suffragiis fere omnibus ei infligendum curavit, quod nimis acriter nimisque funditus criticae artis arbitrio usus esset. At censura haud impedivit quominus, an. MCMI ineunte, libellum ille suum,

multiplicatis magis magisque exemplaribus, iterum evulgaret.

In Monacensi autem coetu, etsi non adeo aspera disceptatio exarserit, tamen non minus discors mens moderatorum apparuit. *Neue Zeit* (*Novum tempus, vel aetas*) atque *Socialistischen Monasthefte* (*Menstrua Socialistarum recensio*) diaria duo lectores suos inter socialismi

gentes vos congregate! » Haec clamavit Carolus ille Marxius ad Americanos, ad Europeos, uti pariter ad Australianos, et usque ad Sinenses et Iaponios; neque vox incassum insonuit; nova enim quaque sessione agmen oratorum, qui socialistae dicuntur, in Germanicis, in Belgicis, in Gallicis Italicisque comitiis, et numerus assecalarum in dies crescit. Periculum inde non tale est ut levia aura dissolvatur; odium enim intra cives omni ope incenditur et alitur, ex quo factio vivat.

Ad rem potens unum remedium, quod iamdiu omnes apostoli Christianae legis praedican, ut coeant inde Christiani, eo ritu quo illi coiverunt. Cum enim ipsi odii semina serunt, caritas Evangelii nobis opponenda est. Quod iam ethnici mirabantur de martyribus dicentes: « Videte quomodo isti sese invicem diligunt! » ea hodie de nobis iterent socialistae. Eo exemplo tantum fiet, ut novissimi ethnici tandem aliquando dicant: « Una est doctrina quae felicitatem et salutem gentium comparet, doctrina Crucis! » Salus enim ea est, si communitas hominum iuxta divinam legem deambulet per terrestre exilium pertransiens, oculis in caelum defixis, ubi quemque aeterna patria manet.

P. ROSSANI.



Templi S. Mariae de Kazan prospectus exterior, Petropoli.

THEOPHILUS LENARTOWICZ.⁽¹⁾

Quatuor edidit Lenartowicz carminum libros: *Polona-regio*, *Lirenka*, *Oracula*, *Stat-Sol*; in hisce *Kosciuszko*, et *Ioannem Sobieskium* adnumeramus. In illis, qui principem locum obtineat necesse est, primusque liber fuit, *Lirenka*, idest « Parva-lyra » traditur.

Audi ab *Oraculo*: « Quaenam haec? Num rivi aqua murmurans, aut volucres sub tegmine frondium in arbore pipilantes? Nec rivi, nec avium voces. Colloquium est, quod superi, interdum in solitaria caeli regione pausantes, inter se miscent sub umbra mali frondosae et redolentis pomo semipurpleo. Michael, canus quidam senex, est humanis pius, infortuniorum miserans et miserator, qui pecus omne tueretur nostrum, nomine unamquamque pagi vaccam novit, devias oviulas in caulas propellit, arcteque ab iis lupos et pestem. Nunc sub tegmine felicis arboris Michael sanctus moratur, et auseultat, paedum manibus versans, dum proximi luci aura in propexam per pectora barbam perflans bifariam dividit, dum odorae circum herbae, quas roravit quasi iridescentibus gemmis aurora, guttis suis nudos ornant pedes optimi senis. Prope Petrus Apostolus est, senex idem, piscator egregius, qui retia tendit in amnibus, et pisces aureos inde captos, radiantes caeli campos emensus, in Domini Christi palatum

(1) Cfr. num. XIII.

3]

SATURIO.

Comoedia latinis versibus conscripta
et in tres actus distributa.

CH. Anni sunt decem, cum Theeuropides frater Negotiandi causa abiit in Atticam. Romae nam verterant omnes in perniciem Res, et salutis fides nec adulserat. Ei, quam longe proficisci in Graeciam, Ut ibi instando naviter negotiis, In melius vitam suam reduceret. Quot ipse lacrymis, quot et gemitibus, Quibus et votis, optime recordaberis. CAL. Id novi et memini, narrasti saepius. Et lacrymis abstineri nequeo, cum subit Diei illius memoria, cum bonus Theeuropides Abiturus, tibi tradidit filium. CH. Sed ipsi tamquam nihil iam Romae foret, Postquam discessit, nullum dedit nuncium. Male ne res ei cedant? Prospere? Obiit? Nihil, nihil scripsit! Imo fuit quid peius. Mox venit hospes verbis ad nos dubiis Athenis eum vivere modo dictans; Aliud quin verbum nobis adiungeret! Hoc excitavit cupiditatem magis Meam....

CAL. Sed hospitem mitte prudentius Qui rem nosse possiet diligentia.

CH. Dies ago totos plenos moestitia, Noctes sunt prorsus tenebrisca mihi; Senes nam semper rapimur formidine. Audi quod ultimum manet consilium. Crastina die proficisci perhibent Atticam navem, petituram Graeciam. Quid si navigium ipse concendero Et fratrem sedulo quaererem in Attica? Athenis certe... Cuinam committes filium?

CH. Tibi.

CAL. Mihi? Commentum periculosius. Quid si malum tibi venerit in via,

portat, et argentea in lance reponit super mensis argenteas afferendos».

Aurea ista simplicitas ad agricolos Polonus unice pertinet, qui sanctas iustorum animas quasi totidem vigiles, custodesque suas tum circa res, tum circa personas, tum circa sua negotia vel minima credunt, tutelaresque genios eas esse putant, quorum singulis curae sint huic piscesorum lacuum, illi sylvarum, alii armatorum et pecudum, alii pluviarum opportuno dandarum tempore. Quin etiam symbolice vates noster in aureis pisces et in candidulis agnis homines non obscure indicat.

« Ambo hi, nempe Petrus et Michael, cani sunt erinibus, — prosequitur Theophilus, — candidi sunt capillis, columbarum instar, delicatissimi animo, et homines suavissime diligunt, quos tuentur. At iis, etsi divini sunt, praesertim hominibus facientibus contra, sollicitudines et taedia, et, quamvis exigua, interdum adversa non desunt. Triduo Petrus incubuit in rete, vacuis triduo manibus vespere redditurus. In imo laci huius mundi pisces obdormiunt inertes! Ecquid Dominus eredet vacuum toties redeuntem aspiciens? Num increpabit? Num segnitie accusabit? Num et ipse, quamvis maximus, piscatum abibit? Num adhuc contumacibus pisces iratus, iratus turbidis aquis, igneum exterminium in maria et flumina diffundet? Hae Petrus sollicitudines, hi moerores. Neque minoribus Michael urgetur angustiis. E casis, e vico, e pago querimoniae continentis instant. Lupi catervatim ir-

ruunt praedatum in vaccas, in capras, in oves; hae hominum quereiae et clamores a dextris; a sinistris exclamat arius ubera pecudum, agnos demortuos turmatim; coram lamentantur agricolae siccitate horribili, qua squalent agri; a tergo, audisne?, sunt voces auxilia petentes, quippe, nimio crescentes imbre fluvii, superare ripas, irruperunt in arva, formidabili et vehementissimo impetu cum stabulis armenta et pastores, cum rusticis casis colonos rapiunt et pueros. Heu homines! Et interea calamitates hasce mihi vitio, mihi culpae vertunt, eo quod (ipsi dicunt) sanctus ego Pastor eorum satis non precor, qua sedulitate par est pro ipsis non accedo sequester et medius. Heu homines! Quasi vera haec asserunt indecora mihi, ipsis nocentia. Verumtamen quis cum dicacibus peccatoribus vaniloquio contendet?... At, dum haec inter se versant moesti, oculis in terram defixi, et proni capite, insonat e longe angelica chelys... » Nec tamen talis, nec tamen sonus; nuncium iucundum est; nam in terra offusa nubibus mulier edidit filium sub paupere tecto. Tum Petrus: « Tibi gratiae sint, optime Deus! infans hic auxiliabitur mihi retia explicanti!» Statim et Michael: « Gratiae tibi sint, optime Deus; puellus enim hic una mecum erit, blandiar, affabor, docebo; advigilabit mecum hic gregibus, ne sint adversa. » Adhuc erant verba ultima in labris, cum Deipara Virgo ex adamantina regia procedens, et utrumque concilians, — infantem nam quisque sibi vindicabat, —

Quid si rediret frater huc Theeuropides; Nonne redarguens dicere possiet:

Siccine mihi fidem servasti, Chremes?

CH. (1) Satis timoris ehu! mihi nunc ingeris.

Ergo da mihi copiam consilii!

Haeret nam caput multis angoribus.

CAL. Unum foret mihi...

CH. (2) V. Da confidentius!

V.

PAMPHILUS, CALIPHO, CHREMES.

PAM. (3) Salve Pater! Salve Chremes noster optime!

CH. Salve Pamphilope, Callidori amicule,

Patri solatum, cunctis acceptissime.

PAM. Gratias pro munere. Paucis te velim,

Pater! Venit hospes longe nuperrime

In aedes nostras; cupit qui clanculum

Habere verba.

CAL. Dummodo non verbera.

CH. Omen avertat Deus.

CAL. Novisti hominem?

PAM. Quis iste hospes siet nunc plane nescio.

Nuper sed in littore forte deambulans

Hominem vidi qui quaerebat baiulum,

Et dixit: Viden' nobis vorsam ratem?

Modo venit graecis onusta mercibus.

Vade intus, quaerito, parva istac tessera,

Vidulum. Scito, memora sed puer,

Nomen insculptum Caliphonis perlegé.

Illuc cum veneris mercedem debitam

Dabo, puer. Domum, pater, en rediens,

Hominem navis ego vidi denuo,

Fores ingressum nostras cum laetitia,

Illuc ut hercle! pedes ipse verteret.

Te, pater, vult enixe...

CAL. Dixisti nunc heic...

PAM. Duxi quidem, pater. Sciens Chremetis domo

Esse, si quasi noscitatet hominem,

(1) Turbatus et mussans.

(2) Erectus in spem.

(3) Procedit exsiliens prae gaudio.

Misit vocatum te maiori instantia.

CAL. Quisnam siet, compellasti?

PAM. Admodum, pater!

Nulli sed attamen negat confidere,

Tibi quam, pater, vocat quem carissimum.

CAL. Quis scit qui siet novus hic extraneus?

Erit ne forte divus nunc Mercurius,

Mihi qui prosperam fortunam congerit?

Senex aut puer? grandis est aut parvulus?

PAM. Est ipse natu grandis, sed breviculus

Corpo; barba prolixa, vestitu nobili,

Qualem decet nempe virum ditissimum.

CH. Eugepae! Caliphō, quidni Theeuropides?

CAL. Insanis admodum! namque Theeuropides

Ad te veniret prorsus et ad liberum,

Nec hospes novus plane vir me quaereret!

Oblitus, pudor proh! suorum larium.

Redi, puer, hospiti dixeris nupero,

Brevi esse venturum tempore, donicum

Pauca persolvam.

PAM. Vale, Chremes optime.

CH. Vale, Pamphilope, iuvenum oh decus!

Dii te semper sospitent incolumem.

PAM. Ut dicis faxint (1).

CAL. Ipse dum domum petit,

Iuvaret, Chremes, consilium sumere.

Sed multis pressus nunc cogitationibus

Solet velut mare fluctibus fervidum... (2)

CH. Dic, sodes, menti tibi quid subit modo?

CAL. Sine primum visam hospitem, ipse quid velit,

Undenam veniat, graecus sit, an italus,

Quid Romae quaerat, quibus consiliis,

An brevi maneat vel longo tempore,

Suis an alienis nempe negotiis (3).

CH. Ei dum consulis, Caliphō, pereo! (4)

Ne me, queso, nunc desere, mi Caliphō!

CAL. Minime te deseram, Chremes; ne dubita.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA

(1) Exit festinanter.

(2) Anhelitu ob moestitiam intercepto, loquitur interrupte.

(3) Abire occipit.

(4) Iterum supplicet et anxius.

haec vaticinans ait: «Infanti huic non erunt gladius bellatoris, non lauria triumphalis, neque pastorale paedum, neque retia piscantis; dabitur huic benesonsans chelys, chelys tamen vagi et exsulis poetae. Haec iam illi constituta ab inde est in libro acerno fatorum; at chelys funebri tegitur velo, quia cantiones dolentis populi sonitu provocabit, sequetur et sonitu. Solitarius in vallem lacrymarum incedet, diesque cantoris erunt in lamentis et lacrymis. — Atqui perget quisquis hic futurus sit, Petrus et Michael una exclamarunt infinita miseratione commoti; perget, et dilatetur cor eius in aerumnis; noctu, tranquilla per somnia, videat homines lorica accinctos et clypeo, fulgurantes casside et hasta; videat in peplis candidis sanctas incedentes matronas; videat quae pura et sancta sunt et pulchra in regione, ubi est ortus; videat, o regina, interdum splendidiores astris oculos tuos, vultum tuum rosis pulchriorem! Et extenderunt manus tres illi divi, et coruscaverunt quasi totidem soles. Interea, villici Poloni sub exiguo et humili lare, mater ad pectus infantulum premebat, et ebria caritate ineffabili tota erat in oculis, et expleri nequibat dilecti filii contemplans vultum, coram quo non est in orbe terrarum thesaurus, qui matri amantissimae non vilescat».

Haec quasi ad verbum transtulimus, ut ostendamus qua nova Calliope Theophilus ingrediatur Parnassum; Theophilus hie, inquam, qui, vere exsul egressus in vallem lacrymarum et cantus, nihil sibi sperabat praeter hoc unum: «Hoc sit mihi in exitu, hoc unum oro; aliquid Polonae humi super exanimem pia manus proiiciat; et sepulturae locum meae, campestribus floribus corona conserta, agricolaram manu decoret!»

Atque hoc morituri desiderium pius implevit de caelo angelus audiens, qui fortassis morienti ad solarium futura praedixit. Quum enim, anno MDCCXCIII Februarii mensis die III, animam Deo reddidisset Florentiae, inde tanti exuviae viri Cracoviam delatae sunt, ibique non longius a templo, ubi Ioannis Sobieski bustum, in pace quiescunt illa in aede, quae «Pantheon» ibi appellatur. Quae fama sanctis contexerat penitus mortuum virum Florentiae, quum domo sine laudatione, sine pompa, sine ambitioso apparatu florum et umbrarum ad S. Luciae ecclesiam efficeretur, haec eadem in Poloniā solemani cum laude revexit, potentibus civibus, haec eadem templū ingredients doceat exhortans ut bene et religiose de resurrectione cogitent. Eequid enim praeter hoc sonat mortuorum cultus, qui ridiculus videretur profecto si ad honorem nihili pertineret?

At non mihi duo praetereunda sunt in hac brevi pagina; habent enim et decus et honestatem, habent insuper quod vel ad nos attinet, et praecipue ad Urbem hanc, quae munere et laboribus eius fuit eximiis decorata. Primum igitur est, quod ab uxore Anna Boneschi Ceccoli pictoriā didicerit artem, in qua magni eius opera fuit, non minus quam in sculpturis; et quae aere conflavit, Florentiae in templo illo celebri S. Crucis, talia sunt, quae ipse maximus Ioannes Dupré sponte laudaverit.

Cetera eius opera, a divitibus passim empta, totam ferme per Europam dispersa sunt, quinquo et in utramque Americam abierunt delata.

Alterum vero, atque hoc grande nobis, habemus ex quotidiano officio amicitiae, quo utebatur cum Arthuro Wolynski; nullus enim erat dies, quo vel ille Arthuro, vel Arthurus illo careret, atque inter se de illo Copernicano Museo Romae apud speculam astronomicam Collegii Romani erigendo agitabant. Communibus et studiis et consiliis omnia moliebantur, omnia disponebant, atque ita factum est, ut tandem aliquando, quae in optatis erant, perficerentur. Nunc autem invisentibus Copernicanum patet; opto ut nostri Theophili nomen inscribatur.

Est insuper aliud; nam ii, quibus concedendi erat potestas, etiam Romae, Polonae bibliothecae aulas, duas ni fallor, iuxta Casanatensem bibliothecam et Victorii Emmanuelis, circa idem tempus concesserunt. Maxima librorum pars, illue illata a Wolynskio, quem supra memoravi, donante Lenartowiczio ad rem conficiendam, cumulata est; vir enim Polonarum litterarum peritissimus et auctores Polonus eligebat optimos, et singulas per aetates digerebat, et, suae patriae timens, illie summam scriptorum ex Polonis celeberrimorum esse volebat, ubi nullo civilium temporum casu exterminarentur. Immo expertus quam cara Polonis Italia sit, et Roma pae urbibus ceteris, volebat ut hic esset locus, in quo cives sui eos, quos in patria reliquerant, invenirent auctores, et eorum operibus fruerentur.

Haec etiam ad memoriam tanti viri hic pariter notata volui, ut in Theophilo non modo eruditum virum, musisque amicum celebraremus, sed etiam ut de Italibz et bene de Roma nostra meritum intueremur, pateretque nos, non modo ad laudem virtutis, ad Polonorum gratiam et solatium, sed et ad gratum exhibendum animum ista scripsisse.

H. DE VECCHI PIERALICE.

VOCALIS POLYPHONIA

AD PRAECEPTA PETRI ALOISII PRAENESTINI.⁽¹⁾

Principio solebant hi musici ex antiphonario, sive ex ecclesiasticis cantibus, musicum thema mutuari, ex quo curabant ut varii inter se conexi cantus elucubratissimo elicenterent artificio. Quod etsi penitioris musicae doctrinae spectaculum christianorum menti exhiberet, in eorum tamen animum, ut par est, suaves ac vehementes motus excitare minime poterat, quum musica iucundae artis naturam prorsus exueret atque in abstrusiore ferme mathesis exercitationem converteretur. Sed in pravam viam Belgae ulterius progressi, musica themata, ex quibus eliciendi erant cantus, vel ex profanis cantilenis haurire non sunt dignati. Id in dedecus atque detrimentum musicae sacrae religionisque facile cessisse nemo est, qui non intelligat, quum musici sonitus ex profanis mutuatis cantionibus ipsa etiam profana verba plenumque libera, interdum plane in honesta, in audientium mentem revocarent. Sacra autem profanis misceri deflendum erat tum ceteris in urbibus, tum potissimum Romae, ubi, musicis quibus pollebant virtutibus, Belgae inter Vaticanos cantores primatum facile obtinuerant.

(1) Cfr. num. sap.

Atque eo tandem delirii perventum est, ut pars integra profanae cantionis, id est verba ipsa musicis notis vivificata religiosis cantibus impudico iungerentur connubio: incredibilia, sed vera! Tunc Ecclesia, sacrorum rituum decoris custos et vindex, in Tridentina synodo gravem exstulit vocem et decrevit tantam pestem perniciemque a sancta Dei domo omnino esse reiiciendam prohibendamque; quod aliquot patribus purpuratis, ex quibus S. Carolus Borromaeus, providendum mandavit. Qui in primis, ut par erat, per musicos ad id designatos, verba profana nec non ipsa musica themata ex profanis cantionibus deprompta ex antiphonario religiosisque cantibus expungenda curarunt. Deinde ut sacrorum rituum cantibus in posterum prospicerent, Petro Aloisio, quem supra memoravimus, utpote cum sonitum arte, tum christiana virtute maxime praestanti, officium commiserunt *Missae* hymnos et preces musicis exornandi concentibus, ita ut veluti exemplar ceteris musices magistris imitandum possint praeberi.

Huiusmodi operis exitus omnium longe excessit expectationem: non enim unam, sed tres *Missas* noster composit, quarum duas maximum sui admirationem in musicos coniecerunt, tertia autem digna est habita, quae veluti perfectissimum musicae sacrae protypum atque omnibus numeris absolutum exemplar sacrorum cantuum cultoribus magnopere commendaretur. Huic *Missae* nomen est a Marcello papa, cui, etsi quinque ante annos iam vita functo, auctor grati animi ergo illam dicavit, quum is Pontifex magna benevolentia egregium musicum esset prosecutus. Atque ex quo illud incomparabile musicae sacrae documentum edidit, in religiosos cantus instaurandos, perficiendos evenhendosque numquam fatigatus, semper divinae gloriae appetens, per insignis Praenestinus totam vitam insumpsit expletivque.

Huius praecellarissimi viri, qui omnium consensus princeps musicorum est habitus, opera enumerare, eorumque exquisitissimas venieres ac virtutes ad trutinam expendere longum et arduum est: nobis autem satis erit aliqua obiter attingere summisque labiis haurire.

Atque in primis animadvertisendum Tridentinae synodi fuisse in votis, ut sacrorum verborum conceptus et textus musicum ducerent ac divino, ut ita dicam, afflatu concitarent ad musicos modos inveniendos, quibus verba ipsa sapienter essent socianda. Id mirum in modum assecutus est noster, qui musicam vanis refertam artificiis ad iucundae eiusdemque sublimis artis officium plane reduxit. Quo factum est, ut quae antea sacrorum rituum psalmi, hymni, preces, utpote inanibus abstrusisque sonitum coniunctionibus praeter modum vestita, intimum christifidelium pectus minime pervaderent, eadem postea a per insigni Praenestino musicis notis sapienter vivificata, audientium animum dulce aut vehemente excitarent omnino opus esset. Noster enim, ut iam diximus, praecellarissimus erat musicos cultor idemque ferventissimus christicola: quamobrem qua imbutus erat fide, eam in audientium animum per suaves aut vehementes, exquisitissima semper arte confectos cantus excitare ac prope infundere conabatur; adeo ut ex eius operibus ars atque in Deum

pietas harmonico mirabilique inter se vineculo coniunctae maxime elucerent. Quae cum ita sint, mirum sane videri non debet, si fidei, veluti musae caelestis, afflatu eximius sonitum poeta ad ardua altissimaque, ceteris impervia musicis, extollit potuit. Si nostrum itaque cum viris excellentissimis velim conferre, cum Michaele Angelo Bonarrotio comparem, cui tum immani magnitudine, tum exquisitissima operum simplicitate simillimum iudico.

Vocalis polyphonia a summo Praenestino instituta, utpote in antiquis tonis posita, generis est diatonici; perfecti in eam dominantur concentus, quum raro atque obiter tantum dissoni sonitus auribus accipiantur.

Ex nostri scriptis innumeris singulari nota haec digna existimamus: quatuor et nonaginta Missas; tria volumina, in quibus videre est offertoria, psalmum Magnificat, hymnos musicis numeris multiplici modo exornata. His addit quamplurimos psalmos, litanias, Stabat Mater et sexcenta id genus, quae brevitatis gratia praetermittimus.

Sed et in profanam musicam excolandam evehendamque Praenestinus cyenus operam contulit, quum non modo plurima italica leviora epigrammata iucundis sociaverit sonibus, verum etiam celebri musices scholae Romae a Ioanne Maria Nanini institutae atque a S. Cæcilia, nostris adhuc diebus, appellatae, quoad vixerit, sapienti consilio sit moderatus.

HERSILUS.

HORA POSTREMA

Leonis PP. XIII carmen novissimum.

DUM hic Commentarii nostri numerus praelo mandatur, ephemerides passim carmen vulgant, Venerandi Senis scriptum ultimum esse aientes, illud immo excruciantem morbo dictatum, de quo superius locuti sumus.

Nos autem eodem *Vocis Urbis* paginas honestare non dubitantes, solutos simul esse credimus cautione illa, quam adhibere huc usque fuit, ex quo, duos circiter abhinc menses, carminis ipsius notitiam habuimus. Non enim his diebus, — liceat tandem affirmare — sed iam prius compositum una cum aliis carminibus, — inter quae disticha memorabimus Vincentio Tarozzi inscripta, a suo munere « epistolarum latinorum a secretis » ob infirmam valetudinem recedenti, — noluerat tamen severus item ac diligentissimus Poeta in vulgus proferri.

Hisce ad aequitatem notatis, en Supremi Pontificis

NOCTVRNA
INGEMISCENTIS ANIMAE MEDITATIO.

Fatalis ruit hora, LEO; iam tempus abire est,
Pro meritisque viam carpere perpetuam.
Quae te sors maneat? caelum sperare iubebant,
Largus contulerat quae tibi dona Deus.
At summae claves immenso pondere munus
Tot tibi gestum annos; haec meditare gemens.
Qui namque in populis excuso praestat honore,
Hei misero, poenas acrius inde luet.
Haec inter trepidi dulcis succurrerit imago,
Dulcior atque animo vox sonat alloquii:
Quid te tanta premit formido? aevique peracti
Quid seriem repetens, tristia corde foves?
Christus adest miserans: humili veniamque roganti
Erratum, ah fidis! eluet omne tibi.

LEO PP. XIII.

ANNALES.

Serviorum res — Bulgarorum motus — Persarum seditio — Londinenses feriae — Supremi Pontificis morbus.

SERVIORUM novus rex Petrus suo iam regno iure potitus videtur. Bellogradi exceptus festante populo circum, ad templum primum accessit solemnes ut gratias Deo ob traditum sibi novum regnum redderet, vix tam Russorum Austrorumque legatis, tum hisce sacris, tum solemini sacramento, quod ille in comitiis praestitit, adstantibus. Paullatim vero omnes Europæ reges et legati eum tamquam legitime electum recognoverunt, ita ut hac re cum exteris gentibus composita, internis negotiis regi unice nunc providendum sit. Nam administratorum summo collegio, quod Petrus in officio confirmavit, populi legati adversantur; itaque publicus coetus ad ferendas leges dimissus est et nova comitia indicta, quae profecto acriter agentur.

Ex Bulgaria Byzantium regis legati profecti fuerant, ut cum Turcarum Caesare pactionem quamdam inirent ad Macedonum res communibus viribus componendas. Turcae Bulgari legatis haud nimis gesserunt morem, seseque protestati sunt milites a Bulgarorum finibus non revocatueros, ni Sophiae simul armorum ignitarumque pulverum commercia praepedirentur. Attamen, ut aliquantulum suam iram ostenderet mitigationem, captivos Bulgarios recentes inter advelitationes captos liberos vindicari Byzantinus ille rex indulxit. His autem Bulgari parum contenti, coram ceteris Europæ legatis contra Turcas intercessere, quippe qui novos semper in dies milites ad suos fines congerant, angeant. Turcae vicissim id sibi necessario cavendum adfirmarunt ad repellenda Bulgarorum factiosa tentamina, qui novos semper manipulos armata manu congregant ad seditionem. Austrorum inde Russorumque mediatio adfuit, ita plane ut iterum iam dicant causas belli proxime inferendi esse sublatas et Balkanicæ res a discrimine maximo servatas feliciter. Ignis autem non restinctus, sed cinere levi absconditus aestuat semper.

Quoniam Orientis limina tetigimus, de Persis nonnulla animadvertenda, qui gravissima commoventur seditione, seditionis illius non absimilis, qua novissime Sinenses flagrarent, et mox Mauritani. Barbara enim gens, regis conatus de humanitate omni in suis finibus provehenda impatiens, in magistratus insurrexit direptura passim Europæorum aedes, ludos, templa, in quemque alienigenam vim factura. Mota sedition Ispahan ex urbe; neque a sanguine civili temperatum est, cum pluries ad arma ventum sit, Europæorumque capita obtruncata triumphali pompa per vias delata apparuerint. Angli autem hinc, inde Russi de Persici regni tutela decertant; nescimus vero utrinque qui sit manus ad rem primus appositurus.

Pacis triumphi Londini contra celebrati. Ad Anglos Loubet, Gallorum praeses, Delcassé comitante, exterarum rerum administro, accessit, summa laetitia et comitate exceptus. Feriae celebrae sunt splendidissimæ; in regalibus epulis amicitiae gentium suarum et paci servandæ rex et praeses concordi animo sua vice propinarunt.

Italorum regis autem iter, quod brevi ille in Gallos erat suscepturus, intermitti paullulum inopino fato oportuit. Morbus causa fuit, quo iam aliquot dies Leo, Pontifex Romanus, laborat, in vita discribens adductus. Non illud iteramus: « O felix morbus! », quod Senem venerandum dictant respondisse Purpurato cuidam Patri, omnium gentium et factionum dolorem et metus, et venerationem concordem illi enarrant; ingeminamus contra, humili licet voce, concors populorum omnium, tum ex catholico nomine, tum ethnicorum augurium, ut brevi concedat Dens, Vicarium hunc suum in terris tot meritis clarissimum, ovanter iterum incolumem consalutari.

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS
LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia cum iterum de innovanda iuramenti formula a rege praestanda disceptatum sit, commutationes aliquot, quas induci cupiebant, sunt recteactae.

In Austria De Rezek administer suo se munere cum abdicasset, eius discessum Imperator ratum habuit. Mox ipse de Koerber, qui in Hungarorum regno consilio administratorum praererat, una cum sociis a munere recessit.

In Graecia Rallio eiusque sociis reddita cura regni est. Ipse res externas et thesaurum sibi gerendum sumpsit; Costantinidis tribunus bellica mariterra negotia agenda suscepit; iustitiae curas Melopulos habuit; res domesticæ Mauromichalis, studiorum Farmacopulos traditæ.

SCRIBA.

AENIGMATA

I.

Quot menses numerat prisca aetas, conficiunt me Tot numerum decades, totidem utor multiplicatis. Vox, uno aucta sono, pars orbis lege suapte Permanet, arctius haec radios coniungit et orbem.

II.

Syllaba vocali constat prior; altera dicit Fungens illud agensque, prior quod syllaba negat. Posterior fiat modo quae prior: esurienti Plena patet dapibus, datur invitantque, fruaris.

V. HERTEL.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

JACOBI CORTESE
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS.

Aenigmata an. VI, n. X proposita his respondent:

- 1) Terminus esto triplex: medius, maiorque, minorque (Terminus est o triplex, etc.);
- 2) Lanterna, Lana, Later.

Ea rite soluta miserunt:

I. B. Pesenti, *Roma*. — Tr. Grottanelli; Herm. Gini, *Aquis Taurinis*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Dom. Farese, *Neapolis*. — Fr. Benedictus, *Simpetred*. — Alois Battisti, *Maraula*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas*. — Ios. Walter, *Neo Eboraco*. — Collegium Scholarum Piarum *Stellae*. — E. Burg, *Argentorato*. — Socius 2523, *Venobona*. — Ad. Huza, *Grybobia*. — Inl. Sernatinger, *Dresda*. — Reg. Wilpert, *Londino*.

Sortitus est praemium

D. LE PROVOST,
ad quem missum est opus, cui titulus:

S. AMBROSI DE OFFICIIS LIBRI TRES.
(Edid. I. Tamiettius).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMÆ — Ex officina *Pacis* Phil. Cuggiani.

LE LAUDI LATINE
IL CANTICO DEL SOLE
DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello, praeter venustam praefatimulam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, scriptam, continentur laudes latinae cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, et illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum hunc Iulius Salvadore, litteris tradendis in Romano Athenaeo doctor egregius, maxima edidit cura, ac Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in pauperum levamen.


IUVENIS QUIDAM ITALUS
MEDICINAE DOCTOR

artem suam profiteri cupit apud exteris gentes.
Si quis itaque officium aliquid ei offerendum habeat
certiore de re faciat

Commentarii *Vox Urbis* administratorem,
qui negotium aget.

PER ORBEM.


QUAE per orbem semper mutata vice cavet
Fortuna, vel audet nefasta potentia Fatorum,
ea ut his paginis enarrem munus meum
cogit, quod libens tamdiu explevi. At terret
hodie nova per aquora aetas et per terras
ardens, quae iam imperio ferventi vias tenet
orbis, tenet maris sulcos et undas.



Huius causa credo magis flagrare Vulcani gesta, flagrare hominum iras et quandam amentem flamman, quae propitia quasi tempestate litora per omnia late debacchatur. Iamque Americani, qui plerumque huiusmodi eventuum maximos, sive bona sive mala sorte experiuntur, San-Pameras ad urbem primum viderunt exitium. *Midland* sodalitium erat commerciis exercendis maximis per terras et oras patriae, cuius socii urbis illius ad moenia longo labore et pecunia multos congesserant rerum omnium acervos, quae tum supellectilibus, tum vestibus conficiendis inservirent. Nam ingens domus, quae tot ac tanta capiebat, contignationibus quatuor elata solo fuerat, per longitudinem vero ad quinquaginta supra centum passus deducta. Haec ignis voravit nullo remedio placatus, omniaque dirnit exiguo tempore quae, diurna mente diurnaque labore erecta, tot opificum et dominorum vitam sustentabant.

Iberi quoque, similem plorant sibi contigisse ruinam Miranda ad urbem in stationis domo apud ferreis tramitis stratam viam. Aedes continebant ingentem lignorum cumulum, quibus qui vias ferreas ducunt passim utuntur, ut ea sub ferreis axibus collocent; quare ad centies

libellarum centena millia pretium amissarum rerum consumptum dolent.



At humanae irae, ut dixi, non minus calore percussae, hanc aemulantur rabiem. In America nigritae sunt, qui contra cives suos albi coloris armata manu per vias et urbes insurgunt. In se enim alborum animos fera crudelitate saepe coactos senserunt, usque ad snorum cladem, quam, etsi arrepta criminis eiusdem ab iis admissi occasione, albi absque mora saepe patrarunt. Ea igitur incitati protervia vicissim coalescent cives ex colore fusco, et saxis et manuballistis in oppressores veniunt ad proelium. Cruentantur viae, neque compescere cladem potuere vigiles, neque milites, quos nulla auctoritas nullusque magistratus instruxit in foris vel itineribus. Igitur sublata potestate rectorum urbis, per Wilmingtonii vias licentia omneque scelus legibus soluta regnant.



In Hibernia parum absimilia viderunt odio civili excitata incolae, qui Arpiklonem urbem tenent. Dum enim festo die, solemnii pompa et concursu civium insueto, monumentum publico aere Murphy sacerdoti ponitur, qui anno MDCCXCIII inter seditionem suorum concidit, Anglicanus quidam pastor, comitante suorum manipulo, nonnulla in Murphianum nomen elata voce iniecit. Haec circumstantes aegre passi, ad iniurias primum labia, mox ad pugnam movere manus: Anglicani pelluntur ardentl lucta e foro atque recedunt, eorum domum adversarii obsidione eingunt, mox adriuntur, ita ut vigiles opus fuerit armata manu turbam disperdere, quamvis inter contendentes

vulnera complures sive baculo, sive saxis, sive ferro exceperint.



Non idem Gallis mos, saltem in huiusmodi solemnibus, quae recens habuere; nam inter sacras lustrationes scimus quae evenerint, et omnes pariter horremus. De feriis nunc dico Lutetiae habitis, in domo quam Victor Hugo incoluit, ubi supellectilium librorumque, aut vestium armorumque, quibus poeta usus est, quoddam quasi museum est instructum, ad perpetuam viri memoriam posteris relinquendam. Orationes de eius vita et operibus viri eloquentes litterarumque periti optime habuere; deinde aedes tot replete reliquias visitantibus patuerunt; eaeque in ultimam aetatem poetae gloriam ipsae quoque servabunt.



Quid vero erit Hugonis fama, si cum fama comparetur, quam Iupiter novus adquirit? Iovem nuncupo Australianum illum Mac-Hart doctorem, cuius pene in arbitrio sunt et solis radii et aquae caeli, cuius ipse suo Marte moderatur ferventem ictum, vel corrumentem imbre. Nonne ille patefecit iam, emisso in aerem calido vapore, septies supra quadragies pluviam e nubium sinu vi sua et sua voluntate provocasse? Igitur cum Broken in colle argentiferae fodinae et fodinarii aqua indigeant a mense, sine qua suum pertrahere laborem nequeunt, Australiae totius praeses doctorem illum Melbourne ab urbe advocat, ut arescentibus fodinis succurrat, eique dat peculiari uti vaporitraha, qua citissime ad prodigium patrandum concurrat. Profectum illum scimus; sequuti vero eventus nuncios expectamus.

VIATOR.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS
(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS administratorem.

SI QUIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

TORQUATI TASSI

HIEROSOLYMA LIBERATA

a IOSEPHO TORALDO e versibus Italicis in latinos conversa,

apud Vocis Urbis administratorem
ven. lib. 6.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui pretium ut supra miserit infra lanuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e laniculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

elget insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italiam ubique ad Libell. 7, 50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diritorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prout voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis premium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi gratis Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.